

Latein

5. Februar 2010, 15:50 Uhr

Nuntii Latini Septimanales 5.2.2010

Lateinischer Wochenrückblick 5. Februar 2010

Omnia regnat hiems

Nives glaciesque incolis in Germania impedimento maximo erant in viis. Homines complures casibus viariis mortui sunt. Multis in regionibus schola non esse potuit.

Missio in Lunam renuntiata

Astronautae Americani non iam in Lunam mittentur. Ita Barack Obama praesidenti Civitatum Unitarum Americae placuit. Pecuniam enim pro incepto Lunae petendae pendere non iam vult. Antehac anno millesimo nongentesimo septuagesimo secundo homo pedem in Lunam posuerat.

Böhrnsen vicarius Köhler praesidentis

Jens Böhrnsen magister civium Bremensium, cuius factio est Socialis Democratica, per tres septimanas officio Horst Köhler praesidentis rei publicae fungitur; qui nunc in Asia peregrinatus abest. Ex constitutione Germaniae praesidens Consilii Foederalis locum praesidentis, dum abest, obtinet.

Weitere Informationen:[Nuntii Latini Septimanales 5/2010, \[1:31\] !\[\]\(95b425611cbd2b8716a140cf67c81822_img.jpg\)](#)[Lateinischer Wochenrückblick 5/2010 !\[\]\(b4eeff342f60cc7bcd67d869b4fedca2_img.jpg\)](#)

Deutsche Version

Quelle: <http://www.radiobremen.de/nachrichten/latein/wochenrueckblick/latein/nachrichten148.html>